


Ex-Libris Com. Branicki
Sucha

SIMONIS STAROWOLSCI

ORATIO

In Obitum

MAGNANIMI HEROIS,

D. IO. CAROLI CHODKIEVICI

Comitis in Szkłow, Myſza, & Bychow.

PALATINI VILNENSIS,

Derpatenſis, Luboſanenſis, Veloneñ. &c.

CAPITANEI:

Supremi Magni Ducatus Lithuaniæ, & ad bellum Turcicum, Regni Poloniæ

EXERCITVVM GENERALIS

nec non terræ Liuoniæ

GVBERNATORIS.

CRACOVIÆ,

In Officina Typogr. Matthiæ Andreouienſis,

Anno Domini 1622.

ILLVSTRISSIMO COMITI,
ALEXANDRO CHODKIEVICIO PALATINO TROCENSI, Borisouien. &c. &c. Capitaneo.
Fratri Defuncti.

Optabam equidem ego, alia ex causa innotescere tibi Illustrissime Comes atque piè defuncto Fratri tuo à scribendis Epistolis, atque connotandis rebus præclarè gestis, cum viueret fore, eamque ob rem, dum in castris ad Chotimiam essem, in gratiam me & aulam Illustrissimi Domini Procopij Sieniawski insinuaueram, vt aditum per eum habere possem, quem ille vti filium amabat, ipse vicissim ab eo, vti pater veneratus, & vt tu quoque generum tibi eum adsisceres, omni conatu adnitebatur

Cæterùm, ſpes huius, prolongatæ tantùm morte illius, meæ penitùs ſublatæ: nec ratio aut modus eſt, quo animi mei cultum in defuncti virtutes declarem, quam vt de laudibus illius poſt funera aliquid in medium proferam, & in publico omnium mærore, meum quoque priuatum dolorem teſtificer; qui tantus eſt, vt à me ipſo explicari nequeat, imò verò ne Tulliana facundia exprimi, rebus à morte illius Patriæ noſtræ intricatis. Qui quidem dolor, cum te vnum præ omnibus, maxime angat & excruciet, vti germaniſſimum, decreui orationem meam, non alij cuipiam fabulam, verùm tibi ipſi inſcribere doloris leuamentum, qui vti olim laborum Fratris tui conſors fuiſti, ita nunc & gloriæ à morte illius inclareſcentis, particeps eſſe debes. Namque hæc ipſa nunc primùm à tumulo cuiuſque, vti ſol à nocte, magis ac magis cum æuo aſſurgere, & radios ſuos per orbis ſpatia emittere incipit. Ergo perpenſa eâ benè & examinatâ, lætari potiùs a letho fratris tui tali debes, quam contriſtari, gloriari, quod fuerit talis, quam dolere:

quod

quod obierit præmaturè, & tam importunè, gaudere, quod tam fæliciter, & in tali Reipub. negotio, quàm affligi mærore, quod sine hærede tantarum virtutum & meritorum in Patriam. Quæ equidem patria, vt eo magis prosequatur, eum defunctum piis suspiriis & recordatione, totius orationis meæ filum, ad illius ipsius ciues & Primates conuertendum putaui: idq́ potissimùm duplici de causa. Primùm, vt militibus nostris & Principi virtutes defuncti veris laudibus commendarentur. Deinde, vt futuri Duces, non quasi à Magistro, sed tamen sub exemplo præmonerentur, qua potissimum via possent, ad eandem gloriam niti: quia vt herbam herba, aut lapidem lapide præstantiorem esse dicimus, quod præstantiorem sibi virtutem & vim insitam habet; sic illum hominem cæteris omnibus diuiniorem esse, & ideo imitandum putamus, qui fortitudinis, prudentiæ, aliarumq́ue virtutum laudibus cæteros antecellit. Talem omnes Carolum Fratrem tuum fuisse nouimus, atque idcirco non dissimilem quoque præsenti oratione depinximus,

& quasi in exemplum viris Principibus proposuimus. Hanc tu COMES *Illustrißime quamuis à letho, vultu nihilominus læto excipies, & simul* STAROWOLSCIVM *cultorem & miratorem virtutum Fratris tui, ac tuarum; amabis, atque te ita, ille Æternus. Vale.*

ORATIO.

LAchrimas in mortuum producere, ILLVSTR: PRINCIPES mei, & CIVES Patrię Nobiliſsimi, ipſa quãuis ſuadeat pietas, iubeat natura, incitet religio; ſpeciali attamen quodam afficimur dolore & mœſtitia, proſequimurq́; ſingultibus & mœrore, obitus talium virorum, qui nobis aliquando, qui Patriæ vniuerſæ, qui omnibus deniq́ue Chriſtiani orbis incolis vtiles fuere. Nam ſi, quod priuatis tantùm nobis commodabat, deſiiſſe graue damnum eſt; quòd ſpes noſtras fruſtrauerit, & aliò triſtes diuertere adegerit, quantò cenſendum eſt illud, quod nuper fontis adinſtar, imò fluminis adinſtar videbatur in omnium vtilitates ebullire, ac effluere abundè, & iam iam videas exaruiſſe totum, ac defeciſſe ipſum? Iam autem bonum de natura ſua tale eſt, vt, quo maius in ſeipſum alicubi reperitur, eo quoquè pluribus modis, & ad plurium commodum fit extenſum ac diffuſiuum: Sed heu ſortem noſtrã peracerbã; diffuſiuum iſtud, quia participatiuè tantùm nobis ineſt, effuſiuum ſimul & corruptibile eſt, & quod cum vita humana cito euaneſcit: perpetuum autem nihil, niſi in eo, à quo hæc noſtra omnia, & ſoli illi

æternitas

æternitas. Nos ex quo nati ſumus, non dicam mori poſſumus, ſed morimur: & omnis hora, omne momentum, ad metam illam ducit, quæ omnibus quidem aliis eſt alia, ſi tempus ſpectes, ſi verò finem, eadem; & cui naſci in hoc mundo contigit, reſtat & mori. Contigit quoq; hoc ipſum nuper & Carolo Chodkieuicio, Comiti inter Lithuaniæ Satrapas excelſarum virtutum, & cui comites illæ, non attulêre ſanè defuncto illi mortem, ſed ceſſationem tantum vitę; imo aditum fecêre, ad illam æternam beatam, & cui vni vita hæc viuit. Nam quomodo ille mori poteſt, aut interire, quem ſua præſtans, & planè Heroica virtus immortalē fecit, & probitas, conſtantia, pietas, per æthera & gentes vagatæ, cælum intulerunt, vt fiducia eſſe debeat, receptum eum ad beatas ſedes, in quibus diuina fruitur viſione, id eſt omni fælicitate: quiq; idem, vitæ & morum perpetua bonitate, quamuis ad vltimam iam penè venerat ætatem, meruerat votis noſtris, vel in ſermonibus diutiùs ſupereſſe. Atq; vtinam ſuperfuiſſet nobis, nec Patriam vniuerſam reliquiſſet in tantò mœrore & luctu; ſed quia Deo decretum aliter qui auocauit, & è turbis curiſq; eductum collocauit in quieta illa ſede, vbi nunc ſecurus miſerias noſtras ſpeculatur; ideò defunctum illum, orbati tali Imperatore, & propugnatore Patriæ tanto, lugemus

gemus quasi iuuenem ereptum; eò magis verò, quod post Magnum illum Samoscium, non fuerit in Polonia nostra & vulgo carius aut venerabilius nomen, & temporibus hisce turbulentis, ad frangendam Turcicæ immanitatis potentiam (absit inuidia dicto) generosioris spiritus Ductor, maiorisq; prudentiæ Imperator. Cuius ego viri laudes, ac penè diuinas virtutes, statui oratione mea, non tam in auribus quàm in oculis vestris ô Poloni mei collocare, non quòd arbitrer eas, meæ ditionis finibus includi posse, quæ dissertissimorum virorum calamo perstrictæ, totius iam orbis oras longè lateq; sunt peruagatæ, sed vt à recenti Fato illius incitem vos ad similes virtutes, & recentem animi generositatem. Quod equidem ipsum dum nullo flore, aut gemma artis orationi meæ intermixta facio, spero me à vestra omnium æquitate, vel ipsius defuncti gratia impetraturum, vt ad eam audiendam faciles aures, sitientesq; afferatis.

VItam Principis calamo perstringere, aut docta oratione virtutes eius extollere, nemini credo vestrum ô Poloni mei, dubium est, quàm sit difficile; siquidem in talibus aliud fere vulgus, aliud viri docti, aliud Principes amant; cauteq; custodiendum est, ne aut breuitas obscura illis, aut dif-

fusio molesta istis, aut denique modus & tractatio, vtrisque, phrasis verò elegantia, & dictionis venustas, displiceat omnibus. Silere è contra, & taciturnitatis obliuione, defuncti alicuius Megistanis excelsas virtutes offuscare, quàm sit iniurium & indecorum, quàm barbarum & turpe, barbaro etiam cuique & stupidissimo est manifestũ; cũ liquidò constet, laudem mortuorum esse, quoddam quasi semen, quo viuorum virtus haberet vel succum quo vigeret, vel vim, qua æternum viueret, vt scitè Philosophus quodam in loco dixit. Sciteq; gentes vniuersæ in eorum laude, tanquam semente virtutis spargenda, extruunt pyramides alijs, alijs figunt obeliscos, nonnullis texunt panægyricos, aut pompas instituunt, aut demum faces accendunt, vt videatur loqui, non tam cadauer mortem, quàm triumphus vitam. Maximè autem prisci illi Athenienses hac in parte religiosi fuére, nimisque anxiè apud se custodiêre, ne miles aliquis in acie occisus, illaudatus sepulturæ mandaretur, sed priùs à Duce belli, ornatus elogiis in corona exercitûs, suis commilitonibus, imò posthumantibus omnibus, propugnandæ Patriæ proponeretur exemplum. Ducem verò ipsum si eum fortè in acie aut bello occũbere contigisset (nam domi defunctum alius mos laudationis prosequebatur) laudabat ille, qui vel

maximus

maximus habebatur in Patria honore, vel doctissimus inter ciues, & rotundo ore. Cadauer autem ipsum, ad tumulum vsque, sequebantur cum Senatu cohortes militum vniuersæ, & cyppo cum pompa inclusum, Epitaphio decorabant pro meritis honorificentissimo, atque statua desuper affabre constructa, vt virtutis suæ non in auribus tantùm, verùm in oculis quoque esset apud posteros perpetuum monumentum. Idem mutuatum ab illis obseruarũt & veteres illi Romani, apud quos eã ob causam præcipuè celebria illa Rostra instituta fuére. Idem postea secutæ & Christianæ gentes vniuersæ; dissimili quamuis genere ceremoniarum, simili attamen laudationis. Quæ licet Rhetoribus omnibus in scribenda panegyri sit communis, vt maximam rationem generis habendam esse censeant; ego tamen putarem, lituram me inspersurum & labem virtuti Caroli nostri, si ei ex gente laudem emẽdicarem, & Patris Auique nomina, tanquam extrema pigmenta adpingerem; nam hi Carolo nostro dederunt, vt sit sanguine nobilis, à Carolo autem acceperunt, vt audiant Heróés & fama illustres; licet & ipsi dignitate Senatoria, bellicisque laudibus fuerĩt clari. Nam auus suus Vilnensis Castellani titulũ gesserat, Pater vero Samogitiæ Toparcha fuerat: ille Tartaris cæsis, iste Liuonibus profligatis, vterque

ero Moſcho toties oppreſſo clarus in patria ſua. Quid patrui, auunculi, aui materni, atq́ue alij cognati ſui? Omnes Palatini, omneś Caſtellani, diſtrictuum Præfecti, aut arcium Capitanei fuêre, & ſinguli ſingulis Senatoriæ dignitatis titulis inſigniti. Vnde non eſt mirum, & noſtrum quoq́ue Carolum à tali arbore, tam felicem & florentem virtute atque honoribus ramum fuiſſe. Cuius vitam, mores, res præclare geſtas, orationis nitore ſatiś terſo, ingenijq́ue acumine planè diuino, cum ab alijs illuſtratas ſciam, non ero minutus in eius extrema pueritia, educatione liberali, indole pulchra, & moribus Heroicis deſcribendis. Vnam modo tangam peregrinationem illius, cum ætate adultior, oras Chriſtianas quaſuis, & populos politiores obijſſet præcipuè Italiæ vrbes, in quibus id totum continetur, quicquid elegantiarum in toto alio orbe reperitur. quod ipſum fecit, non vt hauriret voluptates liquidius, ſed vt ad Patriæ commodum prudentiæ fructus colligeret vberius; maximè militaris calliditatis & artis, cum probe intelligeret, poſſe Troiæ, id eſt domi naſci Hectores, ſed non poſſe niſi foris fieri Vliſſes. Atq; idcirco libatis tantùm aut modo in limine ſalutatis amœnioribus locis illis Melitæ potiùs inter ſacræ militiæ profeſſores commorari maluit, quàm inter Sybaritas aliquos deliteſcere

aut le-

aut lenocinari. Inde in Gallias illas feroces, & ex antiquo bellica virtute inclytos Belgas profectus, generosiores quodammodò Spiritus ab aspectu & affatu illustrium illorum Ducum, Albani, Parmensis, Auraici, Mauricij, concepit: atque mox nauali arte illustres Lusitanos, ductandis Ordinibus præstãtes Anglos, iaculandi peritia celebres Scotos, atq; metandis castris, expugnandisque vrbibus, toti orbi notos Hispanos adijt: atque iterum Patria ac parentibus reuisis, fortes in acie Hungaros, & infractos bellorum asidua mole Germanos. A quibus singulis, vti linguæ peritiam, quantum satis fuerat, didicerat, ita singulas virtutes tanquã gemmas prætiosissimas in vsum & commodum Patriæ suæ asportârat: & ab Italis prudentiam, ab Hispanis prouidentiam, à Gallis facilitatem, ab Anglis iudicandi modum, à Germanis autem grauitatem didicerat. Quæ singula, priusquam in Magistratu velut specula positus, suis ciuibus declarasset, haud ingloriũ virtutis specimen exhibuit, in bello olim Valachico, contra animosum illum bellatorem Michaelem Moldauiæ Vaiuodam, sub magno militię Magistro Io. Zamoscio, aliquot lectissimas cohortes, cum fratre Alexandro, ductando. Quod ipsum credo fecit ei gradum ad maiores dignitates in Patria, & gratiam Principis, qui scius regnandi & prudens,

dens, duces belli non sorte aut ambitione, sed virtute eligere consueuit, quod omnis omnium spes in Rep. à talibus illis pendeat. Idcirco & Carolum nostrum prudentem, & iudicio iam maturum, Cāpestrem magni Ducatus Lithuaniæ, Ducem, ab eo tempore renunciauit, & industrio illi Duci Nicolao Radiuillo, supremo exercituum Generali, collegam adiunxit, vt cum prudenti illo & longa tractatione armorum edocto, accurata pariter, & vegeta consilia profligandi hostis faceret, qui ferox tum & elatus Regno Sueciæ per fraudem & dolum Regi nostro hæreditario successori erepto, etiam Liuoniæ transmarinas oras, per vim inuadere ausus est, Itaque Polemarchus renunciatus, Præfecturisque Lubosanensi atque Velonen. ornatus, suscepit lubens iniunctum sibi onus quo præclaram Famliæ suæ dignitatē tuebatur, inueniebatq; noua arte modos, quibus sibi, vt ex authoritate timorem, sic ex authoritatis vsu apud ciues & milites cōciliaret amorem. Nāq; sciebat gloriosum esse patriæ prodesse, cuius amore, atq; famæ, fecit vti decuit, & tullit vti debuit, ea omnia libens, quæ fieri à viro bono & forti ac prudēti Imperatore aliquis exoptasset. Et quantā in arduis rebus obeundis animi magnitudinem, quantam in Liuonia tuenda industriam quantāq; in consilio capiendo prudentiam semper

præ se

præ se tulerit, vel illa sola post alias pugnã, quàm Supremus post obitum Ducis Radiuilli, exercituum Generalis, & Samogitiæ Toparcha renunciatus, cum Carolo Sudermano ad Kircholmum commiserat, ita loquitur, vt illo die, non tam cum hostibus felicissimè collata signa esse dicãtur, quàm suæ in Deum pietatis, & Dei in illum amoris, toti orbi clarissima sublata signa esse putentur. Quid ad Volmariam, Reualiam, Dunamundum, Cochenhausum, Rigam, atque alias Dinastyæ illius vrbes, aut arces, iisdem hostibus, terra mariq; superatis & profligatis? Quid pacato Curlandiæ Ducatu, euersisq; conatibus rebellium? Quid sedato ciuilis tumultus furore, retardatisq; seditiosorum in piam optimorum congregationem nefariis conatibus? Nam cum in rebus humanis illud maximum sit, æquis partibus cum hostibus conserta manu dimicare, quanta illius felicitas, imò audacia & fortitudo dicetur, qui semper minore manu vincere consueuerat, qui cum tribus aut quatuor millibus suorum, numerosissimis etiam hostiũ exercitibus sese opponere non dubitabat: atq; ita procedebat, contra quosuis Suedici illius Tyranni conatus, vt breui omnibus illius viribus attritis & profligatis, videremus Liuoniam. Gotticis illis manibus miserè dilaceratã, & pestifero Lutheri exhausto veneno penè extinctam

tinctam, iterum septis Lithuaniæ inclusam, in eius gremio tanquam in portu delituisse. Huc huc enim spectabant illius cogitationes, huc studia, huc curæ vt quam laudem maiores sui, in tuenda Satrapia illa à crudelitate Mosci obtinuerant, eam ille à Sudermani Ducis tyrannide vindicatam, non solùm nobis integram conseruaret, sed sartam etiam tectamq; transmitteret vsq; ad posteros. Igitur auctus pro meritis à Rege Derpatensi Præfectura, atq; paulò post, sublato è viuis Illustri illo Duce Radiuillo, Hierosolymitana peregrinatione claro, Vilnensis Palatini titulo, atq; terræ Liuoniæ Gubernatoris, decoratus, & si in tota sua vita, omnia ea fortitudine gesserit, & ea prudentia digesserit, vt non tam vitæ, quàm gloriæ confecisse curriculum videatur; singulari quodam attamen modo, suam in re bellica industriam exhibuit, defenso toties Smolensco à numerosissimis Moscorũ obsidentium viribus, vix aliquot cohortibus suorum; deuastatoq; vniuerso fere Imperio illorum ita, vt cum Serenissimum Principem Wladislaum ad oppugnandam Metropolim eorum capiendumq; principatum vniuersum, deduceret, pacem quam toties fisi suæ potentiæ perfidi violauerant, redimere tractu Cerniechouiensi, & Seueriensi Ducatu, vix tentata fortuna cogerentur, nobis verò Carolum, imò Europeis omnibus;

virum

virum multi vſus, ſummi Iudicij, ac pacis belliq; artibus ęquipolentē ex eo declararent, magis autem quod vtraq; hæc ſimul, rarenter in vnum coincidāt; & enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace; alium toga, ſed non & arma honeſtarunt. At Comiti noſtrō Chodkieuicio, ex vtroque vna laudum & famę glorioſus contigit concentus, & quę alios diuiſa beatos fecerunt, noſtro collecta obuenerunt. Quod ſanè ipſum eò magis in eo eluxit, cum Turcicus Cęſar, cęſis cum Duce Zołkieuio anno ſuperiore in Valachia noſtris, bellum nobis, omnium quę poſt natos homines geſta ſunt, odio immaniſsimum, re maximum, euentu periculoſsimum, nulla prouocatus iniuria indixiſſet, immiſiſſetq; in Podoliam & Ruſsię terras tot myriadas Scytharum deuaſtantium cuncta, qui excurſione miſerabilem in modum Leopolim Socaliam & Pręmiſliam vſq; facta, heu dolor innumerabiles hominum noſtrorum veluti pecorum greges, deduxerunt in ſeruitutem, quantam nullę hactenus litterę Græcæ illę aut Latinæ expreſſerint grauiorem: verteruntq; in circumiacenti vicinia paſsim Chriſti templa in ſtabula, altaria in pręſepia, loca Deo dicata in fœdę libidinis propudia, omnia ſacra in profana. Cum inquam ad tale bellum propulſandum, vlciſcendaſq; iniurias tantas, ac frangendam

 potentiam

potentiam, quam Asia & Africa, imò Europæ quoque pars penè bona vix, ac ne vix terminauit, Dux inter nos quęreretur, non alius inueniri potuit, qui meliùs & Stratagēmate Turcam, & viribus Partum frangere sciret & debilitare, quàm Carolus noster Chodkieuicius, ille ille animorum plenus, & non moralium modò Heroicarumq; virtutum suarum constans, sed pie Catholicus etiam, & ad conterendos impuros ac impios Musulmanos deuotus & religiosus Princeps & cui ita fidenti, sēper in periculis Numen astititit propitium. Iam autem numinis fauor, hominum robore longè potior est: & conscientia Principis bona, non spes modò exercitibus ad vincendum alit, verum etiam illis maximum decus parit. Cum ergo esset Carolus noster, & ętate prouectior, & canicie venerandus, & sanguine nobilis, & armorum peritissimus, ad bellum Turcicum, à Serenissimo Rege nostro, quemadmodum olim Theodosius ad bellum Africanum ab Imperatore Valentiniano, ab omnibus populi nostri ordinibus, & toto Senatu vnanimiter fuit electus: quam electionem, quamuis contra patrię leges aut consuetudines facta fuerit, quę prohibent omnino Polonum in Lithuania, Lithuanum verò in Polonia, honores quosuis ambire; nihilominùs & ipse gratam, & vniuersa Regni nobilitas

bilitas ratam habuit; quia arduam necessitatem vidit. Sed prę uidit & ipse difficultatem, vti in re noua & graui, idq́; ipsum clariori certè acie vidit, quàm qui Magistratus refugiunt: ita tamen totus ardebat patrię amore, vt huius difficultatis, voluerit potius subire periculum, quàm subterfugere onus; malueritq́; videri magnanimus, dum in senili ętate, & iam fatiscente, scintillam generosi spiritùs declararet, quàm dum sequeretur torpidum sensûs motum, abiectus & vilis. Itaque valetudinarius licet, in castra tamen venit, exercitus lustrauit, Tyram traiecit, atq́; eductis alacriter in aciem suis copiis, Osmanum Cęsarem, cum Tauricano Principe Geta, & infinita multitudine Othomanigenarum venientem, lętus expectauit, primumq́; cum eo pręlio feliciter commisit adeò, vt loco etiam tum cesserint crudeles illi & impuri Machometani, nec aperto in posterum Marte, aut de summa belli decertare ausi fuerint.. Fecit idem sępiùs, quamuis morbo ingrauescente, totus iam languidus & imbecillus, ad prælium nihilominus Domini accinctus, & illius ipsius gratia vltra solitum vegetus qui iam iam moribundus videbatur, contra gentes illas ferociter insurgentes, arma occepit, & contra pecudem illam Asianam Deo rebellem & contumacem, castra tum nostra summa vi oppugnātem co-

tem copias eduxit, celeriter instruxit, & sole in vesperam inclinato, quatuor modo cum signis suorũ cum hoste conflixit, quem & profligauit. Sed heu fortunæ inconstantiam, & nostrum in tanta felicitate infortuniũ: vexilliferum & aquilam in eo prælio amisit, seu veriùs pennam aquilæ Aquilonis: nã Regni Polonici nostri, alba aquila, insigne est, illius autem signum ala aquilæ nigræ fuit, quæ volabat velociter, per æthera & gentes famã Regis sui propagando; quæ peruolabat Tirionem, Moscorum crudelitati, Suecorum furori, & Turcarum immanitati sese obijciendo; & quæ subuolabat cælum, alta cogitando semper, magnifica faciendo, & omnes actiones suas in perpetuitatis finem, velut aquila radios oculorum suorum, in solem serenum, dirigendo. Quod ipsum, viuente adhuc ipso, loquebatur fama per orbem vniuersum sparsa, loquebatur pectus instructum à prudẽtia, loquebatur demum ingenij, & iudicij oculus purus & acer, quo statim vno obtutu videbat in alicuius & vultu quod amaret, & oratione quod reprehenderet, vt æquè eius inde & amaretur mansuetudo, & timeretur seueritas; si tamen seueritas posit dici, corruptæ castrorum disciplinæ instauratio, qui aliâs natura humanissimus erat; verum quoties in publicum exibat, explicueratque frontem, manum, vocem, semper te-

per texerat animum, edoctus à Georgio Basta, atq; Comite de Mansfelt, Germanici in Hungaria exercitûs contra eundem Turcam, Ducibus; vt facilè quisque peccans intelligeret se correctum, non despectum, & ipsum finxisse non exeruisse iram. Vidimus itaque ipsum in puniendo iudicem, non vindicem, censorem, non tyrannum, & certè omnia perfectum; si, quam tonante voce peccantes puniebat, tam facili aure, audiret purgantes. Sed ô imbecillitatem: ô spes nostras fallaces: quis harum virtutum cursum, huius cursus vitam, huius vitæ filum abrupit medium, illi tam cito, nobis tam infeliciter, vt cũ maximè nobis Duce opus esset, Dux nobis Carolus necessitate succumberet Fatali; dum ad persequendum hostem, prosequendamque victoriam, viris fortibus & industrijs qui incitarent & præirent, maximè indigeremus, ille vnicus noster, ex omnibus Regni proceribus ad id electus, Parcis inuidentibus occumberet. Cuius equidem intempestiui obitus, non principalis modo planetæ defectus in cælo signum fuit, sed in terris quoque, amissum in vltimo illo certamine ipsius signum, certissimum præsagium, quo vt omine malo generosus ille spiritus, & nusquam vinci suetus, ab illo die perculsus, mox in grauiorem incidit morbum, rebusque suis vti virum prudentem decuit, pulchre

ac prudenter dispositis, & Sacramentis Christianis ritu solemni perceptis, spiritum in arcem Hotimésem delatus sensim emisit, & à quo eum habuit, eidem Deo cõmisit. In arcem inquã quæ cum aliorũ multorum Ducum labores consumpsisset, multorum Heroum mortes numerasset, infinitorumque Daciam possidere conantium, cæpta frustrata esset tandem nostri quoq; Chodkieuicij morte, ac Turcici Imperatoris, Scythicique Chani aduentu, nobilitata extitit. Ast o Carole Chodkieuici, charissime Litchuaniæ tuæ fili, si iis te virtutum insignibus non honestasset Deus, vt & propter generis claritatem, qua splendebas, & fortitudinem, qua bella gesseras, & prudentiam, qua pacis negocia nectebas, & iustitiam, quà tibi Liuones tuos atque Lithuanos obstrinxeras, tamen hoc vnico tuæ in Patriam propensionis, testimonio, quòd senio & morbo confectus, longissimam à domo tua expeditionem susceperis, & cum tam potenti Tyranno longe inferioribus copijs decertare ausus fueris, & quòd proximum Fato cum te cerneres, in castris & Patriæ defensione potiùs, quam in Patria & pace mori malueris; ea gloria floreres, quam nulla tẽporis circumscriptio metietur, & ea virtutis fama vigeres, quam ipsa immortalitas excipiet, seu potius, quæ ipsam immortalitatem exhauriet. Et quidem ô

dem ô Poloni mei, ſtetiſſet profectò adhuc noſtra Troia, ſi non cecidiſſet noſter Priamus, id eſt; non eneruatum eſſet tam citò robur exercitûs noſtri, ſi Carolus non mortuus fuiſſet nobis; non fuiſſemus paſsi tantam nuperrimam, vaſtationem Patriæ, ſi eius conſiliis adminiſtratum fuiſſet, vniuerſum bellum: nec tam facilè non ſatis tuta pace Otthomanica irretiri potuiſſent Principes noſtri, ſi ille non abijſſet tam cito à nobis. Sed cecidit nobis Carolus heu ſortem noſtram peracerbam, cecidit ille, per quem ſtetit Liuonibus iuſtitia, Lithuanis decor, Polonis nitor, cunctiſque ſeptemtrionalibus ornamentum: & quem cuncti ereptum, ingentibus lachrymis non minus quàm parentem defleuimus animoque vt oues conſternati paſtorem amiſsũ plorauimus; & ſinguli nobiles ſordidati ſuum ductorem & Palatinum, Liuones in ſquallore iacentes, ſuum Gubernatorem, plebeij lachrymis perfuſi ſuum patronum & tutorem, ſtipendiarij luctu ſquallentes ſuum Imperatorem, omnes deniq́ue ex omnibus Regni Poloniæ Dynaſtys ad hoc ſacrum bellum congregati, ſuum Dictatorem extinctum his, aut non diſsimilibus vocibus proſequebãtur. Carole Princeps, quid nos deſeris in medio hoſtiũ relictos? quid non de defendendis nobis atq; Patria tua cogitas? quid non propulſas impugnantem

gnantem Musulmanũ? quid non occidis insultantem Scytham? quid iaces? quid non cogitas quo pacto nos de faucibus huius cruentæ belluæ ereptos incolumes reducas ad proprios penates? en Turca naturæ suæ immanitate efferatus, & insito quodam Christiani nominis sed nescio an non magis inclyti Polonici seminis odio inflãmatus, iam insanire, furere, agros depopulari, templa depeculari incipiet? En Scytha crudelis phalangibus suis emissis, liberos nostros, parentes, fratres, sorores, in ęternã seruitutẽ rapiet & abducet? Sed quid hoc? etiã lues illa pestifera ex orco comitata, nimirum perduelles Suedi sui regni proferendi incredibili desiderio flagrantes, & victorię per te toties ab illis reportatæ vindictam acerrimè imminere incipient? Iamq; & Moschi de tuo obitu certiores facti, fœdus nuper sancitum extemplo disrumpent? & Cerniechouienses Seuerienseſq; Russi per te impositũ iugum protinus excutient? Quid nosmetipsi; te proculdubio moderatore amisso, nullo facinore forti edito, inglorii domum abibimus, & tumultuabimus; Egregiam verò laudem! Quid igitur non prouides? quid non perpendis talia? cur non misereris nostri, qui totam victorię spem, in te, post Deum, solo repositam habuimus, & per te inclarescere si votis fortuna fauisset, voluimus. Ehem quomodo nunc

do nunc frustrati sumus? Abite, inquit, abite, & Deo hęc disponenti committite, atque tempori iam cedite, ęternum illud Numen potens valensq; est meliora de vobis: me autem alia in Fata properantem, purum à corruptibilibus hisce atq; quietum, rogo abire sinite, atq; simul cum Serenissimo Rege vestro, Patria vniuersa, fratre meo charissimo dulcissima coniuge, cumq; omnibus amicis & consanguineis meis, ęternum valete. Sed vale & tu quoq; Carole charissime, atq; vltimum à nobis salue, qui vt salue esset nobis, toties te pręsentissimis periculis immersisti: salue, qui salutis nostrę signum Crucem Domini à blasphemiis & ignominia infidelium vindicaturus, tuæ salutis dispendium, in glorioso opere hoc feliciter subiisti. Vale qui valetudine propria postposita, ad extremum vsq; spiritum, nostram valetudinem & salutem procurasti, & iam iam in limine Fati positus, generale consilium de conseruando exercitu, propulsandisq; hostibus vltimum celebrasti, nec iam quiens amplius loqui, aut loquentes audire, hanc extremam vocem, testem tui in nos, & patriam, amoris, cum gemitu edidisti. *Consulite ipsi de vobis, quia ego iam amplius non possum.* Quasi dicere voluisses, antea, mea solius cura fuit de vobis, nunc iam singuli de vobismet curate, quia ego ad illa perennia & quieta iam è tur-

bis hisce vestris & tumultibus euocatus. Vos amplius non visurus abeo. Atq; ita abiit, postridie eius diei quo concionem illam celebrauit, & humanę felicitatis satur, ad cælestem illam atq; ęternam FELIX & BEATVS euolauit. Nam quomodo eum felicem non dicam aut beatum, qui omnia ea quę apud nos summa & votiua sunt, supra vota etiam habere visus est, & iis quę ad beatitudinem assequendam spectant, tota vita religiosè actis, honoribus insuper, diuitiis, ac fama bona ita abundauit, vt si adhuc diutiùs nobiscum fuisset, credo felicior fore nequaquam iam exoptasset. Etsi Themistoclis sententiam examinabimus, qui felicitatem humanam in natalium splendore ponebat, virum inquiens ignobili stirpe ortum, non videri esse obligatum, vt virtute & fama clarus nitatur euadere; nam virtutes & res gestæ Maiorum, stimuli sunt, quibus ad res magnas excitantur posteri. En Carolus noster primaria è nobilitate, imò summis è summatibus Lithuaniæ, vt supra diximus, & exteris etiam non suatibus modo notum est, Samogitiæ Dynastis prognatus, hac in parte felicissimus erat. Si Simonidem sequemur, qui fælicitatem in eo posuit, si quis gratia apud ciues valeat (quæ enim potest esse iucũditas vitæ sublatis amicitiis) Carolum nostrum felicissimum dicemus, quia præter ciues suos, qu

os, qui eum ſupra ſolitum & legem tantis honoribus in ſummum vſque euexerant, vt maioribus in Polonia titulis, præter Regiam dignitatem, nemo vſquam ornatus fuiſſe legatur, hoc eſt qui Polonicis ſimul & Magni Ducatus Lithuaniæ exercitibus præſit. Qui quidem in tantum etiam externorum Principum gratia pollebat, vt virtutes illius admirati, Herculem eum Lithuanicum dixerint, inſcripſerintq́; viri docti, viuentem adhuc in Acta Æternitatis. Si verò Euripidem audiemus, qui in coniuge venuſta felicitatem eſſe putauit: Carolum noſtrum & hîc quoq́; felicem reperiemus, qui binis nuptiis peractis, non amicitias modò cum familiis præſtantioribus feliciter contraxerat, ſed clientelas & diuitias etiam ingentes comparauerat. Primamq́; coniugem Nicolai Melecij, exercituum Regni Poloniæ Generalis filiam, lectiſsimam fæminam in matrimonium acceperat. Alteram Alexandri Palatini Wolchiniæ, Ducis in Oſtrog & Iaroslaw, filiam hæredem, virginem prudentem & venuſtam, vxorem ſibi duxerat: & quod ad fælicitatem maximùm cenſeas, ad pietatem & virtutem vtramq́; pariter inſtructam. Veriſſimè enim, qui coniugem & virtute & forma præſtantem nactus eſt, nihil habet amplius, quod in vita deſideret. Quod ſi verò Sophoclis ſententiam

 reclamans: ample-

amplectamur, qui in prole generosa felicitatem húmanam ponebat, miseriam eius qui liberis caret omnes ærumnas longè superare affirmans. Summa enim fælicitas est honore & opibus in hac vita affluere, & postquam satis illis vsus sis, filios hæredes relinquere. Non exsortem hac quoq; sorte Carolum nostrum fuisse videmus, qui binis è Melecia liberis susceptis, fructus matrimonij satis se percepisse putauit, Et cu m Hieronymus gnatus fatorum sæuitia quindecennalis adhuc ereptus sibi esset, è secundis nuptiis hęredem virtutum & possessionum relinquere maximopere exoptabat, superstite licet filia Illustris. Sapiehæ Aulę Magni Ducatuss Lithuanię Marschalco in matrimonium elocata; & quę nunc tanto progenitore orbata, acerbissimè deflet, solam se Carolinam progeniem superesse. Sin verò Chrisippum audiemus, qui in extruendis splendidis ędificiis, haud firmo ductus argumento, humanam felicitatem ponebat; hominum affirmans nullum relinquentium sui monimentum, vitam mortemq; nihil à bestiarum vita aut morte differre, clara verò & splendida ędificia, nihil esse quam immortales animorum nobilium pręcones, vti & Cæsarum Romanorum nonnemo, qui herba parietaria fuit appellatus, existimauit. Neç tamen abs re sanè, quatęnus enim nobis, denegatum diu

viuere

viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Quod itidem & Carolum nostrum animo suo impresſisse, testantur tum sacra tum profana ędificia splendidè à se extructa: illa, in monasteriis, Fratrum Min. de Obseruantia Cretingę. Fratrum Canonicorum Regularium Bychouię, Patrumq́; Societatis Iesu in Samogitia: ista, in reformatione arcis Bychouiensis, in munitione arcis Lachouiciensis, in instauratione parietinarum Sklouiensium, Derpatensium, Myssę & aliarum. Sed videamus, quid etiam de felicitate sentiat ex antiquis illis Archita, is enim summam beatitudinem in eo ponebat, si quis pręlio victor euaderet, quod eius sit victis leges dare, opima spoliorum colligere, & quod animis generosis ęternitatisq́; genium habentibus exoptatiſsimum, esse in oculis omnium, in oculis posteritatis. Pulchrè, & ad mentem fortium virorum, qui hoc ipsum intendunt, cum pericula subeunt grauiſsima, vt posteri, & qui nondum nati sunt, cum nascentur, benè de nobis loquantur. Prout loquemur & nos de Carolo nostro Chodkieuicio tot victorijs, tot triumphis ornato, loqueturq́; subsequens ætas, atque ipsa æternitas, opera illius & labores mirata; maximè quod nulli licet perpetua aut diuturna fortuna fuerit, illi se tamen semper obsequentem, semperq́; benignã

exhi-

exhibuerit, & cum se aliam in alijs præbuerit illi, in victoriis nihilominus obtinendis, constantissimam ad tumulum vsque, vt iure non Syracusano modo illi Regi Fortunæ ipsius alumno appellato, audeas eum comparare, sed Carolis etiam ipsis, felicibus illis & triumphatoribus inclytis Magno atq; Quinto appelatis, in tã exigua sorte, cum tam ingenti fortuna adnumerare, Quod si denique Antistenẽ audiamus, qui in fama etiam post mortem superstite felicitatem statuit. Magnam eam & perfectam vidimus Carolo nostro dum viueret fuisse, & talem sane, vt etiam ad hostium aures deueniret, qui querebant ex captiuis nostris clade superiore acquisitis, num adhuc frueretur aura, & num vegetus animo esset. Longeq; adhuc maior illa erit, cum iã ille ipse desiit esse, quia nunc primùm à morte cuiusque incipit esse, & cum æuo ipso augetur atque crescit. Hincque illud est, quod parui viro cordato æstimanda mors sit, si superstitem reliquerit virtutũ ac rerum gestarum famam, quod illa multas hominum ætates superet, & non in vno aliquo loco permaneat, sed totius orbis angulos adimpleat. Verũenimuerò, si quem inter fortunæ turbines esse in hoc mundo felicem audemus dicere, solus ille nobis talis erit, qui probitate, constantia, ac pietate ornatus fuerit: nam sola hæc tantum perfectũ hominem

minē faciunt, feceruntq́; nostra ætate Carolū Chodkieuicium talem, virum ab aureo æuo, & prisca virtute, ob quam singuli eum mirabamur tantum, coluimus & suspiciebamus: & cui, vti ostendimus oratione, dum esset ô Poloni mei vobiscum, per omnia FELICI & BEATO ad æternam illam Beatitudinem & Felicitatem, nil amplius deesse videtur, nisi vt GRATI laborum ipsius, apprecemini abeunti à vobis REQVIEM SEMPITERNAM.

DIXI.

EPITAPHIVM.

D. O. M.

PIISQVE MANIBVS MAGNANIMI HEROIS.

D. Io. Caroli Chodkievici, Palatini Vilnensis, Comitis in Szklow, Mysza, & Bychow: Derpatensis, Velonen. Lvbosanen. &c. &c. Capitanei. Svpremi Magni Dvcatvs Lithwaniæ, & ad Bellvm Tvrcicvm, etiam Regni Poloniæ Exercitvvm Generalis, necnon Terræ Livoniæ Gvbernatoris: Viri Pietate in Devm, Amore in Patriam, Obseqvio in Amicos, & Liberalitate In Omnes Hvmanitateq. Eximii. Pace & Bello Clarissimi. Et Qvem Solvm ob Conservatam Ad Severioris Disciplinæ Calcvlvm Castrensem

Formam

FORMAM. DEVICTVM TOTIES HÆRETICVM SVEDVM. OPPRESSVM SCHISMATICVM MOSCHVM. TERRITVM IMPVRVM SCYTHAM. REPVLSVMQ. IMMANEM TVRCAM, & OMNI DENIQVE METV LIBERATAM PATRIAM, IVRE FELICIBVS ILLIS CAROLIS, MAGNO ATQ. QVINTO ADNVMERES. FELICIORĒ VEL EO IPSO QVOD IN CASTRIS & LABORIBVS PRO REPVB. CHRISTIANA VITAM POSVERIT. ID EST, RELIGIONI DONAVERIT TV QVI LEGIS APPRECARE QVIETEM DEFVNCTO, ATQ. SIMVL DISCE, QVOMODO VANVM SIT CONFIDERE IN PRINCIPIBVS & FILIIS HOMINVM.

In Sarcophagum.

BEllator fortis, iacet hac sub mole CAROLVS
CHODKIEWICZ, Ductor Militiæ armipotens.
Quem Dacus extimuit crudus Mauorte, Gethesq́;
Qui Moschos cecidit, vastaq́; regna tulit.
Eripuit dextra firmatus ab hoste LIVONES
Sacrilego, turmas pressit Othomanicas.
Exanimis iacet heu Fatis sublatus iniquis!
Quem Turca haud poterat sternere, Parca necat.

M. MATTH. BVCZKOWSKI.

Aliud

TEla Sudermani qui sæpius irrita feci,
Moschos ferre iugum, vertere terga Scythas.
Qui non extimui Turcarum Cæsaris iram
Victus ab infesta morte repente cado.

M. Nicolai Zorawski.